



## **Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi Thomae tomi quinque**

Accvratam Qvæstionvm D. Thomæ, Ab LXXXIV. Vsqve ad finem: &  
Disputationum de virtute Pœnitentiæ, De Clauibus, De Sacramentis  
Pœnitentiæ, & Extremæ Vnctionis, De Purgatorio, Suffragiis & Indulgentiis,  
expositionem complectens : Accesserunt Indices quinque: ... Postremus

**Suárez, Francisco**

**[Köln], 1616**

Sectio 3. An ad eius valorem sola voluntas confitendi sufficiat.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93815)

per sacramentum ministratum à simplici sacerdo- te, quia non remittitur directe: sicut posset remitti per administrationem Eucharistia, si attritio esset purata contritio.

Secundum dubium est, si in prædicto casu contingat attritionem non extendi ad peccatum in confessione omisum inculpabiliter, an nihilominus aliorum attritio sufficiat ad effectum. Respondeo breviter non sufficere, quia talis attritio non est integra, qualis ad hominis iustificationem necessaria est. Item quia ibi deest in re ipsa medium necessariū ad remissionem illius peccati obliti, quod est interior poenitentia illius: ergo illud remitti non potest: sine illo autem non possunt tolli reliqua: ergo. Item, quia, si quis accedat ad Eucharistiam cum vno peccato mortali, & sine attritione illius, etiam ex naturali oblivione, vel falsa exultatione inculpabili, non iustificabitur, vt supra suo loco ostensum est: ergo idem est in præsentia, quia respectu peccati obliti sacramentum hoc non facit ex attritio contritum ex speciali virtute & institutione, sed solum ex generali institutione sacramentorum nouæ legis. Denique licet sacramenta faciant ex attritio contritum, non tamen faciunt ex non attritio iustum, siue carentia attritionis sit multorum, siue vnius peccati tantum: quia poenitentia de omnibus, & de singulis peccatis mortalibus necessaria est.

Atque hinc tandem concludo contra Cano, & Vegam, posse dari statum mediū in receptione huius sacramenti, ita vt nec iustificetur, qui de nouo il- lud recipit, nec de nouo peccet. Patet, quia potest carere attritione alicuius peccati ex naturali oblivione, vel potest inuincibiliter ignorare motiū suę attritionis, & existimare esse aliud quam vere sit, vel esse sufficiens quod reuera non est: tunc enim nõ peccabit de nouo propter ignorantiam inuincibile, nec iustificabitur propter rationes adductas. Et propter similem rationem dixi in superiori tomo posse dari similem statū mediū in receptione Eucharistie, & ex ibi dictis hoc potest confirmari. Tandem ob eandem causam, quando hæc sacramenta recipimus, certiores sumus nos non committere nouum peccatum, quam per ipsa sacramenta iustificari.

SECTIO III.

Vtrum ad valorem huius sacramenti sufficiat voluntas confitendi absque alio dolore peccatorum:

PRIMO statuendum est, de necessitate huius sacramenti esse voluntatem confitendi peccata in hoc sacramento, & obtinendi absolutionem eorum. In quo conueniunt omnes Doctores statim citandi. Et ratio est, quia hoc sacramentum recipi non potest nisi ab homine adulto: in omni autem suscipiente sacramentum, si vsum rationis habeat, requiritur voluntas seu intentio recipiendi sacramentum. Vnde notauit Gabriel d. 14. hanc voluntatem non requiri vt partem sacramenti, sed vt necessariam conditionem ex parte subiecti: nam intentio dandi, vel recipiendi sacramentum, non est pars eius, licet sit de necessitate. Accedit in hoc sacramento peculiaris ratio, quia, cum sit voluntarium iudicium, requirit voluntariam subiectionem rei ad iudicem, per quam veluti completur actualis iurisdicctio confessoris in poenitentem, vel potius materię applicatio: hæc autem voluntaria subiectio non fit, nisi per voluntatem subieciendi peccata clauibus, & mediis confessione, ergo.

Ex quo inferunt graues auctores, necessarium esse vt hæc voluntas determinata sit respectu huius confessoris, ita vt, si contingat confessorē decipere poenitentem sese alium fingendo, cui poenitēs existimat

se subicere & confiteri, nulla fiet confessio, nec talis confessor possit valide absolueri, quia poenitens reuera non se illi subiecit, nec respectu illius fecit voluntariam accusationem. Confirmatur ac declaratur, quia huiusmodi poenitens, si postea veritatem intelligeret, non teneretur parere tali confessori: ergo nec potuit ab eo ligari, ergo neque absoluti. Denique talis sacerdos non audit tunc confessionem vt iudex, quia hoc iudicium non est coactum, sed voluntarium, & ideo non est quis actu iudex, donec alius se illi voluntarie subiciat: ergo nec potest sacramentum perficere. Atque ita sentit Durand. in 4 d. 21. q. 3 art. 1. Richard. art. 4. q. 3. & Adrianus materia de Confessione dub. penult.

Quæ sententia vera erit, si moraliter intelligatur poenitens ita determinare voluntatem suam ad hęc iudicem, vt absolute nolit coram alio agere causam suam: tunc enim recte procedunt rationes factę. Tamen si poenitens, quando hic & nunc confitetur, licet existimet hanc personam esse Petrum, vel Paulum, nihilominus absolute velit huic sacerdoti, qui præsens adest, cõfiteri, illud sufficere, vt perficiat sacramentum. Sicut in genere dicitur de sacramentis, quando occurrit talis error circa materiam, vt non excludat intentionem operandi circa id, quod præsens est, non impeditur sacramentum. Vnde quoties non constiterit de expressa voluntate contraria, & absoluta, ita videtur interpretanda intentio poenitentis: nam hæc est rationabilior, & fauorabilior ipsi poenitenti, qui semper intendit, vt valide perficiatur sacramentum, quantum fieri possit. Addit præterea Adrian. in eo casu, in quo sacerdos audit peccata poenitentis eo inuito, posse illum absolueri postea illo consentiente, absque iteratione confessionis. Veruntamen, si solum fuit inuitus modo à nobis explicato, neq; nouus illius consensus requiritur: quis, vt dixi, licet erret, vel decipiatur materialiter circa personam, non excludit formalem intentionem recipiendi sacramentum ab hoc sacerdote. Tamen, si supponatur prius nullo modo velle huic confiteri, postea, per se loquendo, necessaria esset iteratio confessionis. Quia vero narratio facta moraliter præsens est, ideo per solam voluntatē quolibet signo indicatam, subieciendi omnia illa peccata huic iudici, sit quædam virtualis iteratio confessionis: & hoc sensu verum est, non esse necessariam aliam confessionem: quod in multis aliis casibus accidit, vt videbimus infra tractando de integritate.

Soler autem circa hanc voluntatem inquiri, an debeat esse honesta, & specialiter, an voluntas confitendi propter humanum motiū, scilicet inane gloriā, vel commodum temporale, sufficiat ad valorem sacramenti: nam in ceteris sacramentis certum est sufficere. In hoc vero id negant Syl. Confessio 1. q. 7. Angel. Confessio 1. §. 4. & verb. Vana gloria sacramenti §. 1. Armilla verb. Confessio n. 4. & nonnulli alij Summistę: quia putant talem confessionem esse peccatum mortale, quod actu commissum in susceptione huius sacramenti, repugnat valori eius, quod est speciale in illo, vt dicemus. Contrarium tamen tenet Soto dist. 18. q. 3. art. 3. circa fin. & Nauarr. in Sum. c. 21. n. 4. o. Negant enim, illam voluntatem ex illo hęc esse peccatum mortale, sed veniale tantum: quod non repugnat valori sacramenti. Quæ sententia per se loquendo, vera mihi videtur.

Itaq; vt valida sit confessio, necessarium est vt illa voluntas non sit peccatum mortale, vt efficaciter probat ratio facta. Nec fatis est addere limitationē, quam Syluester significat, scilicet, nisi poenitens hæc ipsam voluntatem, & culpam confiteatur: nam tunc, inquit, iam confessio est integra, & consequenter valida. Veruntamen, vt iam dicam, ad valorem confessionis non fatis est, quod sit integra, sed etiam oportet, vt sit aliquo modo dolorosa, & ex poenitentia, quod repugnat, si illa voluntas actu habetur: & est peccatum

14. Attritio non sufficit ad remissionem peccatorum in confessione nisi inculpabiliter omni- sum, missam illud se ex- tendat.

15. Potest quid nec iustifi- cari, nec de nouo pecca- re in rece- ptione hu- ius sacra- menti.

16. De necessi- tate huius sacramenti esse voluntas confitendi, & obtinendi peccata remissio- nem.

17. De sit ne- cessaria de- terminata

voluntas poenitentis respectu huius confessionis ad receptionem sacramenti

Durand. Richar. Adrian.

Sufficiatne voluntas confitendi propter humanum motiū ad valorem sacramenti. Sententia negans. Syluest. Angel. Armil. Sententia affirmans per se loquendo vera. Soto Nauarr.

Handwritten notes in large letters, possibly 'VIR' and 'E'.

peccatum mortale: tunc ergo sine dubio nullum fit sacramentum, non tam ex defectu intentionis, quā ex defectu essentialis materię, quā inde consequitur. Est autem hoc singulare in hoc sacramento, & ideo non tenet in hoc argumentum ab aliis sumptum.

At vero, si voluntas illa tantum sit veniale peccatum, & non excludat sufficientem attritionem peccatorum mortalium, non repugnabit valori sacramenti, quia nihil essentialis tollit: & quoad hoc procedit optime argumentum sumptum ex aliis sacramētis. Potest autem recte fieri, ut licet quis moueatur ad confessionem ex motiuo humano, nihilominus, supposita illa applicatione, vel sit omnia necessaria ad sacramentum adhibere, quia non vult in eo actu peccare mortaliter. Ad hoc autem non mouebitur ex illo motiuo humano, sed aliunde, & ita motiuum illud nunquam erit totale in huiusmodi actu quoad specificationem eius, ut sic dicam, quantum sit primum mouens in illo genere quo ad exercitium & usum. Vnde, quod Angelus supra ait, semper esse peccatum mortale facere ob inanem gloriam id, quod per se in Dei gloriam institutum est, ut est usus sacramenti, valde rigorosum est, & absolute falsum, nisi addatur constitui vltimum finem in ea inani gloria, aut ea de causa omitti aliquid, quod est de substantia actus: nam his sublati, ille finis non est per se obiectum graue, quod ad peccatum mortale sufficiat, nec est vnde tantam malitiam actioni conferat.

7. *Sitne aliquis internus dolor de essentia huius sacramenti.*

**H**is ergo suppositis de hac voluntate, difficultas est, an præter illam sit aliquis dolor internus de necessitate & essentia huius sacramenti. Multi enim Theologi negant. Quam opinionem à fortiori tenent, qui putant illam voluntatem sufficere ad effectum, ut de Scoto, & aliis supra diximus. Idem sentiunt Maior 4. distinct. 14. quæst. 2. & ibi Gabr. qu. 2. artic. 1. dum negant dolorem esse partem essentialem, quod etiam dicit Durandus distinct. 16. qu. 1. & distinct. 17. quæstione 13. & ibi Paludanus q. 8. quantum Paludanus de rigorosa contritione loqui videatur: Durandus autem solum de nomine partis disputare videtur: nam alioqui docet, confessionem sine dolore factam, esse iterandam, & hoc sacramentum non posse esse informe. Idem censo de Gabriele, & Maiore; de Soto vero iam dixi, illum non negare esse necessarium aliquem dolorem in hoc sacramento. Et quamuis doceat hoc sacramentum in abolutione consistere, non tamen negat esse necessariam confessionem, & accusationem, atque adeo dolorem aliquem, ut per hoc possit. Quocirca pauci sunt Theologi, qui hanc sententiam expresse doceant. Nihilominus tamē fundari potest, quia hic dolor non requiritur ut causa extrinseca sacramenti, sicut de præcedenti voluntate dicebamus, nam in eo genere cause sufficit prædicta voluntas. Neque etiam requiritur ut intrinseca pars sacramenti, quia vel non est pars, cum non sit sensibile signum, vel non est essentialis, cum Concilia tantum integram appellent. Et confirmatur, quia non debemus confessionem reddere onerosam, & obligare homines ad iterandas confessiones sine euidenti ratione, hic autem nulla est: nam sacramenta solent esse valida, si exteriora signa integre perficiantur cum voluntate conficiendi sacramentum, neque est obligatio iterandi illa, etiam si non habuerint effectum: ergo idem dicendum est in hoc sacramento.

Nihilominus dicendum est, aliquem dolorem esse de essentia huius materię. Quod supra ostensum est, & est fere communis consensus Theologorum, ut videre licet in D. Tho. 3. p. q. 84. art. 1. ad 1. & q. 86. art. 6. quæst. 90. art. 2. & in 3. & 4. d. 14. quæst. 1. art. 1. quæ-

Opinio negans. Scot. Maior. Gabriel. Durand. Palud.

Fundamentum.

8. Sententia affirmans vera. D. Tho.

**A**stinucla 1. ad 1. clarius d. 17. q. 3. artic. 4. q. 4. ubi dicit dolorem & accusationem esse de necessitate huius sacramenti. Capreol. 4. d. 16. qu. 2. art. 3. quem cum aliis refert Couar. in capite *Aquila* par. 1. §. 4. nu. 13. idem tenet Nau in ca. *fratres* nu. 33. de Pœnit. d. 5. & D. Antonin. 3. par. tit. 14. c. 19. §. 5. & alios referunt *Vegali* 9. in Tridentinum cap. 17. & *Corduba* lib. 1. qu. 2. opin. 3. & referemus eos scilicet. Pauci etiam ex Autoribus citatis in contraria opinione contradicunt, ut ibi vidimus. Neque etiam fundamenta illius sententiæ sunt alicuius momenti: quod enim contritio vel aliquis dolor internus sit pars huius sacramenti, supra ostensum est, cum autem sit pars omnino necessaria, sine qua sacramentum validum esse non potest, merito essentialis dicitur. Neque Concilium Tridentinum, aut Florentinum dicunt hanc partem ita esse integram, ut non sit etiam essentialis. Sed dicunt id quod est certum & generale omnibus partibus materialibus huius sacramenti, scilicet requiri ad integritatem sacramenti, & perfectam peccatorum remissionem: non tamen propterea negant, aliquam, vel aliquam ex his partibus esse essentialis, seu simpliciter necessarias ad valorem sacramenti. Alias etiam confessio peccatorum non esset essentialis, quod aperte falsum est, cum accusatio sit de essentia iudicij de peccatis: atque eadem ratione contritio est essentialis tanquam omnino necessaria ad veram accusationem huic iudicio necessaria.

Vnde est magnum discrimen inter dolorem, & satisfactionem: nam satisfactio solum est necessaria ad quandam perfectionem huius iudicij, quæ est puniitio seu compensatio delicti quoad reatum poenæ temporalis: dolor vero requiritur ad substantiam ipsius iudicij, & ad primum finem eius, qui est absolutio à culpa. Deinde satisfactio non necessario supponitur ad formam huius sacramenti, sed regulariter post sacramentum essentialiter perfectum adiungitur: dolor vero, sicut accusatio, necessario supponitur ad sacramentalem formam, estque natura sua necessaria ad veritatem eiusdem forme: in omni autem sacramento, materia, quæ huiusmodi est, necessaria ac essentialis existit: idem ergo erit in hoc sacramento. Vnde ad confirmationem illius sententiæ respondemus, satis euidenti ratione ostendit, necessitatem alicuius doloris ad veritatem confessionis, ideoque neque frustra, neque gratis hanc obligationem imponi poenitentis. Neque oportet in hoc seruari omnimodā similitudinem inter hoc sacramentum, & alia, quorum materia est mere exterior & sensibilis, quia non consistit in aliquo actu humano, qui ad situm esse & ad formalem rationem suam requirat aliquem actum interiore, qui coniunctus exteriori, constituat sensibile signum tali sacramento proportionatum: in hoc autem sacramento hoc inuenitur, quia materia eius in huiusmodi humanis actibus posita est.

SECTIO IIII.

*Quisnam dolor seu attritio sit de necessitate & valore huius sacramenti.*

**P**rima sententia est non esse necessariam detestationem efficacem cum absoluto dolore & proposito non peccandi, sed displicentiam quamcumque cum uelleitate non peccandi sufficere ad valorem sacramenti. Ita tenet Caier. tom. 1. Opuscul. tractat. 5. quæst. 5. quem sequuntur *Victoriarum* Summ. num. 144. Cano. par. 7. *Relect.* *Leodesina* 2. p. 4. qu. 8. artic. 1. dub. 4. & q. 31. art. 2. significant *Palud.* d. 17. q. 8. Syluest. *Confessio* 1. q. 23. Fundamentum est, quia de essentia confessionis ex parte poenitentis solum est, ut confessio habeat veram rationem accusationis integræ: ergo solus dolor requiritur, qui necessarius est ut confessio fiat per modum veræ accusationis: sed ad

Capreol. Couar. Nauar. Anton. Vega. Corduba.

Explicatur verba Cot. Trid. & Ebor.

9. Discrimen inter dolorem & satisfactionem.

1. Prima sententia.